

Petrus de Vinea

*Ep. V 94 (Bartholomeus ciuis
Senensis pro parte sua...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. V 94 (Bartholomeus ciuis
Senensis pro parte sua...)*

1240

Capitaneo, ut contractum debitum ab episcopo soluat de bonis episcopatus deuolutis ad manus fisci.

1. Bartholomeus ciuis Senensis pro parte sua et socii sui nuper exposuit coram nobis, quod olim P., Vulteranus episcopus, eis in quinquaginta libris ex causa mutui teneretur. 2. Eodem episcopo sublato de medio, non fuit eis de dicta pecunia satisfactum. 3. Et quia bona episcopatus ipsius per nostram curiam procurantur, humiliter supplicauit, ut de prouentus ipsius episcopatus satisfieri sibi in dicta pecunia mandaremus. 4. Cum igitur nostrum fiscum ditari cum alia iactura nolumus, fidelitati tuae precipiendo mandamus, quatenus iura predictorum creditorum super hoc audias diligenter. Etsi tibi constiterit de premissis, de prouentibus ipsius episcopatus soluas eis pecuniam supradictam, ita quod in aliis propterea nostra curia non grauetur. 5. Dum tamen per testes qualibet exceptione maiores, qui numerationi et contractui interfuerunt eisdem, non per instrumenta solummodo de supplicantium iure probetur, attentius prouisurus, ne per colludiosas probationes et inania instrumenta solutorum iam forsitan debitorum fiscum nostrum contingat in aliquo defraudari.